
DE



SIVE

MERCEDE DIVINATORIA

Ad Illustrandum Numer. XXII, 7.

PRAESIDE

FRANCISCO VVOKENIO

HEBRAEAE ET ORIENTALL. LINGVV. PROF. PVBL. ORD.
REG. BORVSS. SCIENTIARVM SOCIETAT.
MEMBRO

DOMINO AC PATRONO SVO OMNI PIETATIS LEGE SEMPER DEVENERANDO

D. XXVI SEPT. MDCC XXVII

IN AVDITORIO MAIORI

H. C.

PVBLICE DISSERIT

AVTOR

M. IOHANNES Gottlieb Biedermann

NAVMBVRG. MISN.

VITEMBERGAE, LITERIS VIDVAE GERDESIAE.





IESV GRATIA BENEDICENTE!



Illud inter alia in miſeram iraeque diuinae ſubiectam naturam hominum poſt lapſum peruaſit malum, ut metus perpetuus poenarum coelitus denunciatarum ac ingens horribilium fluctuationum chaos, mirum, utut uetitum, deſiderium pepererit, ſeu proſpiciendi ac praenoſcendi, ſeu exquirendi quouis modo, aut imminentia mala, aut futuros euentus ſecundos, coniunctum cum incredibili ad ſuperſtitionem propenſione. Nec unquam uero defuerunt eiuſmodi homines, qui hanc artem tantum non publice profiterentur, et nomine Diuinatorum celebres, pretio quodam conducti, id agerent, ut ii, qui ſe adierant, uoti compotes reuerti poſſent. Ac primaeuis quidem temporibus, ubi omni niſu id agebat Satanas, ut legis lucem, quam DEVS promulgabat, uariis modis obſcuraret, hac fama maxime eminebat Bileam; quo nomine illum notat ipſa Scriptura ſacra. Quae, quum admodum diffuſe de eius rebus geſtis exponat, eiuſque uaticinia prolixis uerbis perſequi dignetur, nos quoque operae pretium duximus, ut in huius uatis artem diuinatoriam inquiramus, et nominatim de קסמים, quibus ad hariolandum inuitabatur, diſpiciamus; praecipue, quum obſeruauerimus, hoc argumentum dignum iudicatum eſſe, quod

 plus

plus uice ſimplici in Nouo Teſtamento repetatur, nihilo-ſecius tamen oppido parce adſtricteque a plurimis pertractari, quantumuis copioſe de cetero generalis Bileami hiſtoria paſſim enarretur. עמנואל

§. II. Ac initio quidem ſupponimus, ea, quae de Bileamo, et ſpeciatim eo, quod prae manibus eſt, argumento, leguntur, uere ita eueniſſe, neque pro aenigmatibus aut phantaſmatibus habenda eſſe, quae per ſomnia uiſa fuerint, ut ANONYMVS quidam a) poſt alios, SAADIAM, SAMVELEM HOPHNIDEM, SAMVELEM CANTOREM, uigilans ſomniauit. Quamuis enim nonnulli cum STEVCHO *ad h. l.* genus diuinationum, quo uſus eſt Bileam, inſomnia fuiſſe, aſſerant, tamen de ueritate hiſtoriae nec quicquam dubitant aut detrahunt.

§. III. Iam, quod ad illum attinet, cui קסמים deferebantur, non erat DEVS, quod quidem Iudaeorum nonnulli exiſtimarunt, et quos ipſe R. ALSCHECH breuibus refutat, dicens: מה הועילו נגרו הקסמים, *quid faciant coram illo pretia diuinatoria?* b) Sed erat Bileamus, cuius nominis etymon ſcite enucleat LVTHERVS his uerbis: Bileam oder Balaam heiſſt ein Verſchleuderer oder Verſäuffer, als der ſeinen Rachen auffſperret, alles verſchlinget und friſſet. Den ſchändlichen Nahmen hat er darum getragen, daß er ſo viele Leute hat zur Sünde bracht, daß ſie erwürgt und umkommen ſind. c) De eius natalibus et patre non attinet h. l. multa proferre. Ex multis legi poſſunt WALTHERVS, d) QVISTORPIVS, e) VITRINGA, f) alii. g)

§. IV. Officium ſeu artem eius, quam profitebatur, exprimit diſertis uerbis Scriptura ſacra, non quidem in noſtro capite, uti ex eius *uerſu 5.* uocem פתורה uerſio uulgata trauſtulit *hariolum*, ſed *Ioſ. XIII, 22.* ubi expreſſe uocatur קוסם *diuinator.* Quod quidem non alienum uidetur, quum

a) *dans l' hiſtoire de Bileam Helmſt.* 1706. b) *in* ס׳ תורת משה *ad h. l. p.* 239. c) *T. II. Altb. p.* 480. d) *Harm. Bibl. p.* 261. e) *Annotat. ad* 2. *Petr. II, p.* 405. f) *Obſeruatt. Sacrr.* g) *MOEBIVS in hiſtoria Bileami. &c.*

quum e Syria oriundus esset, notante MOSE NACHMAN. *ad Num. XXII.* היה קוסם מן הארץ שכל עמה קוסמים כענין שכתוב כי מלאו מקדם ועוננים כפלשתים: *erat diuinator ex ea terra, in qua omnis populus diuinabat, secundum id quod scriptum est.* (Ies. II, 6.) In quo uero consistat diuinatio, nemo non facile intelligit. Verbo: est futurorum in caussis suis abditorum praenotio et significatio; aut, si mauis: diuinare est rem ignotam reddere planam ac manifestam, seu per media illicita, qualia adhibent harioli, seu licita: uel, ut habet רמ״בם, expositurus quid sit קוסם; scil. זה העושה משאר המעשיות כדי שישוב ותפנה מחשבתו מכל הדברים עד שיאמר דברים שעתידים להיות ויאמר דבר פלוני עתיד להיות או אינו הווה או שיאמר לעשות כן: i. e. ille, qui hoc uel illud agit, cogitationibus nulli intertus rei, donec futura praedixerit, statuendo, hoc uel illud futurum esse, aut istud uel illud facere oportere (h). Et hanc artem exercebat Bileamus; utut de cetero incertum sit, quo diuinationis genere et inclaruerit et usus sit, quum τὸ קסם, ut notat D. DE POMIS *ad hanc uocem*, sit מלה כוללת לכל מיני חרטומות *uocabulum generale diuersis diuinationum generibus* quae ex instituto et data opera persequuntur CICERO *de Diuinatione*, PEVCERVS *de eadem*, NEVHVSIVS *in fatidicis sacris*, VENERIVS *de oraculis et diuinat.* MOLINAEVS *de vate*, aliique plurimi.

§. V. Speciatim autem eius artem ita describit caput nostrum uers. 6. את אשר תבורך מבורך, *cui tu benedicis, is est benedictus.* Quae uerba tantum adulandi gratia Balakum dixisse, ut eius artem extollens eum sibi reddat promtiorem, uix credi potest. Multis etiam dubiis premitur ea ratio, quam tradit פסקתא זוטרתא his uerbis: לפי שהיה ממשפחת קמואל אבי ארם ומדבר היה ברוח הקודש ומכריז שעת הזעם, *quia erat ex familia Kemuel, patris Aram, loquens per Spiritum S. et praedicans horam infortunii.* i) Nobis placet, quod PHILO de eo scribit: πολλοῖς καὶ πολλάκις ἐπιδειξάμενος ἄπιστα καὶ μεγάλα, ὀνομαστότατος ἦν,

h) in הלכות עבודת כוכבים וכו׳ c. XI. §. 6. i) ad haec uerba, p. 66. b.

ἦν, ἐπὶ μέγα τῆς εὐκλείας προερχόμενος διὰ τὴν ἐπιβαίνουσαν ἀεὶ καὶ φθάνουσαν πανταχόσε φήμην k). Quibus gemina ſunt, quae habet NYSSENVS, *ſaepius eum ciuitatibus etiam ingentibus ſuis artibus nocuiſſe, et inde Balacum auxilium his uerbis adeo honorifice petiiſſe.* l) Nempe praedicebat hominibus mala, quantum daemonis ope ſcire potuit, quatenus praeſcindimus a reuelatione DEI immediata, et quum hoc praeſciret, male dicebat, imprecans illis, omnia ſuper eos uentura eſſe, quae futura iam cognouerat. Pari ratione uerſabatur circa benedicendum, ita, ut, cuicunque bonum quicquam euenturum praeuidebat, ei benediceret. Iam, quando euentus reſpondebat eius effatis, res obtingentes putabantur ex eius uirtute emanare: cuiuſcemodi praedictiones ALMELOVEEN m) aliique prolixe pertractant.

§. VI. De hoc uero nemo forſan erit qui dubitet, quod Bileamus fuerit diuinator et propheta. At, qualis fuerit, ubi quaeritur, mirari ſatis non poſſumus, quam uehementer diſſentiant interpretes. Quum autem noſtri inſtituti haudquaquam ſit, ſententias ſingulorum excutere, unum itemque alterum ſaltem nominaſſe ſufficiat. Pro diaboli propheta reputant eum cum plurimis Patribus NYSSENVS, n) ISIDORVS PELVSIOTA, qui ſcribit: τί τοῦ Βαλαὰμ γέγονε μιαρώτερον; (o) Philo, qui admodum abiecte eum uocat γῆς θρέμμα p), BVXTORFFIVS, q) BRENTIVS, r) GLASSIVS, s) BOTSACCVS t), et plures alii. Pro DEI propheta agnoſcunt eum cum TERTVLLIANO u) IOSEPHVS, x) DRVSIVS, y) ABVLENSIS, z) alii. Nos et uere prophetam DEI et diaboli fuiſſe, aſſerimus. Et diaboli quidem, ſi ſpectes eius perſonam; DEI, ſi attendas ad eius

k) *in OO. p.* 643. l) *in OO. de uita Moſis p.* 562. m) *in Amoenitatt. Theol. Philol. p.* 241. n) *l. c. p.* 562. o) *in Epiſtſt. L. II. Ep.* 37. p) *OO. p.* 318. q) *Catalect. p.* 244. r) *OO. T. I. p.* 977. s) *Exegeſ. Euangel. T. I. p.* 988. t) *Moral Gedan. p.* 114. u) *contra Marcion. L.* 4. x) *Antiquitt. L. IV. c.* 6. y) *ad Iohan. III,* 22. z) *OO. T. IV. P. II. Qu. III. p.* 55.

eius diuinum ministerium, ad quod postea a DEO adhibebatur: confirmantibus nostram sententiam LVTHERO, a) GERHARDO, b) CALOVIO, c) TIRINO d) aliisque. Nec enim obstat nomen קוסם ei tributum, quo minus pro uero habeatur propheta; id enim fieri ob abusum doni prophetici ex lucri cupiditate, obseruat P. IVRIEV: e) neque obstant נחושים *incantamenta*, quibus olim usus fuisse dicitur, *Num. XXIV*, *1.* quandoquidem utrumque nomen tangit eius personam, non ministerium, ad quod diuinitus adhibebatur. Id modo probe notandum, accedente Spiritu Domini *Num. XXIV*, *2.* recedendum fuisse spiritui pythio, perinde ut se res habebat cum Saule *1 Sam. XVI*, *23.* Quam sententiam et Cel. I. F. BVDDEVS f) et alii etiam amplectuntur. Plura uero qui de hoc argumento desiderat, eum ablegamus post Moebium (in Historia Bileami ex Num. 22, 23, 24.) prae ceteris ad celeberrimos duumuiros, DEYLINGIVM, g) et KRAKEVIZIVM, h) qui hoc caput ita persecuti sunt, ut nihil reliqui fecerint.

§. VII. Sed, ut propius ad rem accedamus, relictis omnibus, de *occasione* quaeritur, qua Bileamo oblata sunt illa קסמים. Scilicet, pergrinabantur adhuc Israelitae per desertum, uariosque post casus campestria Moabi attingebant, ac in iis castra metati permanebant, donec Iosua duce inde profecti ad Iordanem peruenerunt. Haec dum geruntur, Rex Moabitarum, Balak, uictorias Mosis de Sihone et Ogo reportatas pensitans, metuit, ne suum quoque regnum occuparent Israelitae. Igitur communicato cum uicinis Midianitis consilio, nostrum fatidicum, ut Israelitas execretur, per seniores Moabitarum et Midianitarum inuitat, amplisque, quibus illos instruxerat, muneribus offerendis, id ab illo se impetraturum esse, confidit.

§. VIII.

a) *T. VI. Altb. f. 1214. a.* b) *Comment. in Ep. Petr. p. 289.* c) *Bibl. Ill. V. T. p. 1311.* d) *Bibl. Magn. T. I. p. 334.* e) *dans l'Histoire critique des dogmes p. 37.* f) *Hist. Eccl. V. T. p. 750.* g) *Obseruatt. Sacr. P. III. p. 81. sqq.* h) *Dissert. de Bileamo impio, Rostoch. 1706.*

§. VIII. Mittens igitur eſt Balak, qui parum gnarus diuini ingenii, et ex inepta ſuperſtitione ethnica, Bileamum uel plurimum gratia et auctoritate ualere apud DEVM, uel, fortaſſe etiam ipſum per ſe, inconſulto DEO, poſſe, cui uellet, bene aut male precari, ſibi perſuadebat, ut iudicat de Mvis. i) Hic igitur euocabat Bileamum prophetam, non, ut benediceret, ſed להרע לעני ולעוות דינו, *ut malediceret afflicto et peruerteret iudicium eius*, ut loquitur Schem Tobh. k) Miſſi ſeu legati erant Seniores, eum in finem delecti, ut negotium praeſens tanto maiori cum grauitate, prudentia ac circumſpectione ageretur, uti R. Kimchi *ad h. l.* obſeruat: quos appoſite Pelargvs l) uocat *nobiles ſolicitatores et improbos licitatores.*

§. IX. Res miſſa, et id, quod *obiectum primarium* eſt noſtrae diſſertationis, uocatur קסמים. Sic enim ait Scriptor ſacer: *Et abierunt ſeniores Moabitarum et ſeniores Midianitarum*, וקסמים בידם. Quae uerba a diuerſis diuerſimode uertuntur et explicantur. Et quamuis Kimchi m) tres tantum diuerſas ſententias notet, dicens: פירושו ודמי קסמי׳ או פיר׳ מיני קסמי׳ או מה שצריכין אליו מעניני קסמי׳: *ſenſus huius uocis eſt: pecunia diuinationum, uel ſpecies diuinationum, uel quicquid e rebus diuinatoriis illi erat neceſſarium;* plures tamen dari, mox conſtabit.

§. X. Namque alii uaria genera diuinationum intelligi uolunt per קסמים, proponenda Bileamo, ut ſeligeret, quodcunque uelit. Ita ſentit Tanchvma *ad h. l.* הוליכו בידם כל מיני קסמי׳ שהם קוסמים בהם et eadem fere leguntur in ס׳ רבות n) הוליכו כל מיני קסמי׳ שהיו קוסמין *attulerunt uaria genera diuinationnm, quia erant diuinatores.* At enimuero reclamat huic expoſitioni tum uox בידם, tum illud, quod artifici praeſcribete uelle, neque conueniens fuerit, neque conſultum.

§. XI.

i) *in Opp. T. II. p.* 96. k) *ad Pſalm. V,* 6. l) *Comment. in Numer. ad h. l.* m) *in* ס׳ השורשים *ad uocem* קסם. n) *p.* 266. *b.*

§. XI. Alii autem hoc nomine exprimi putant ipſos *diuinatores*, quos ſeniores illi ſecum ſumſerint eum in finem, quo minus Bileam ipſos fallere poſſet, ſi forte uel tempus et horam uel aliud quicquam obſtare diceret, ut non illis gratificari queat, ut ſciilicet diuerſum illi oſtenderent per ſuos diuinatores, atque ita caſſa facerent eiusdem uerba. Quam ſententiam profert ABEN-ESRA *ad h. l.* ubi de iis ita ſcribit: קוסמים כמוהו ועוד שלא יוכל להתעכב לאמר לא אמצא יום נבחר ושעה נבחרה ללכת ולקוב כי הם אנשי אומנותו:, i. e. erant diuinatores perinde ac ipſe, et amplius, ideo, ne poſſet cunctari, dicens: non inuenio aptam diem uel horam ad eundum et execrandum: quoniam hi erant uiri eiusdem artis. At uero, quis credat, Balakum tot precibus, tanto ſtudio, tantis ſumtibus ſolicitaſſe diuinatorem alienigenam, ſi quidem ex ſua gente non defuiſſent, qui hoc officio perfungi poſſent. Accedit, quod textus ſacer tantum ſeniorum faciat mentionem, non aliorum; et quorſum referendum ſit בידם, ſi haec explicatio admittatur, plane non apparet.

§. XII. Neque plus ponderis huic ſententiae accedit, ſi cum aliis aſſerere uelis, ipſos legatos fuiſſe diuinatores, inductis occaſione TARGVMI HIEROSOL. quod per ſeniores illos intelligit Sapientes Moabitarum et Sapientes Midianitarum; immo, nulla alia de cauſſa Moabitis ſocios fuiſſe additos Midianitas, quam quod hi artibus magicis prae aliis inſtructi et in hac doctrina maxime uerſati crederentur; quorſum ſpectant uerba in MATTNOTH KEHÜNNA *pag. 327.* et aliorum. Si hoc enim fuiſſet, cur quaeſo, tam multis precibus Bileamum ſolicitabant, ut id faceret, quod ipſi potuiſſent efficere? quid opus fuiſſet, ut re infecta reuerſis illis, Balak denuo alios ablegaret?

§. XIII. Alii igitur has difficultas obſeruantes, obiectum reale, quam perſonale, malunt intelligi ſub nomine קסמים. Hinc a nonnullis per *libros diuinationum* exponi, tradit ס׳ פענח רזא *p. 70. b.* his uerbis: וי״מ שספרי קסמים הביאו בידם., *nonnulli exponunt, quod in manibus ſuis attulerint*

rint libros diuinationum; nec longe ab iis recedunt, qui asserunt, Balakum misisse *libellos*, in iisque praescripsisse formam uaticinandi, uti habet R. SAM. ZIRZE, ספר הכתוב ששלח אל הקוסם: *Liber scriptus fuit, quem misit ad uatem.* o) Hi uero, ni fallor, falluntur translatione TARGVMI HIEROSOL. dum אגרין per *epistolas* uel *libros*, non autem per *mercedes* uertunt, uti uerti debebat. Nam, quem in finem misisset Rex libros diuinatorios? Sane persuasissimus erat, Bileamum artis suae esse gnarissimum, neque eum indigere libris, ex quibus illam edoceretur.

§. XIV. Maiori cum specie primo intuitu commendat sese eorum opinio, qui dicunt, *literas petitorias* uel ad diuinandum *inuitatorias* innui per קסמי׳; aut qui cum PELLICANO, p) *testatorias* indigitari putant literas, quas misit Balac ad Bileamum, tanquam testimonium et uocationis et promissionis. Interim, ut taceam, significatum illum uocis huius neque ex locis parallelis neque ex uocibus similibus posse corroborari; non uideo, cur hac lege Balac prima itemque altera uice plures legatos, eosque grauitate conspicuos miserit, quum uel seruorum uilissimus literas perferre potuerit ad Bileamum.

§. XV. Propius itaque rem sese tetigisse autumant ii, qui statuunt, Balaki legatos sumsisse secum *instrumenta* diuinatoria, auguri offerenda, eaque per קסמים omnium optime denotari. Socii huius sententiae sunt numero plures. Sic *Origenes* et *Lyra* ad h. l. scribunt, per diuinationes notari instrumenta illa, quae curiositas humana adinuenerat, quaeque portabant secum nuncii, ne Bileam ex defectu talium se posset excusare; et haec instrumenta, (quorum quaedam nominant, ut tripodas, cortinas etc.) ad artem magicam consecrata, moueri ab iis et contrectari, qui diuinabant. Subscribit his BASILIVS: q) consentiunt Rabbinorum plurimi. Sic enim R. ARAMA: ויראה שלקחו עמם כלי אמנותם למלאכת הקסם כדי שלא ישובם

o) *in* מקור חיים *p.* 103. *b.* p) *in Comment. ad h. l. p.* 388. *b.* q) *Epist. LXXX ad Eustach.*

שום טעם רחיה ועכוב לעשות כרצונם *uidentur ſumſiſſe ſecum inſtrumenta artis ſuae ad opus diuinationis, ideo ne ſit ulla cauſa propulſionis et morae, ut faciat ſecundum uoluntatem eorum.* r) רל״בג *ad h. l.* ita explicat: קסמים הם כלים מה יעורר בהם הקוסם וכו׳, ſunt inſtrumenta, quibus excitandus erat uates. Itidem BECHAI, rationem redditurus, cur inſtrumenta ſecum apportarint, ad h. l. ſcribit: שלא יוכל לרחותם ולומר אין בידי׳ עתה כלי קסמים: *quo minus poſſet eos repellere, dicens: non ſunt nunc mihi ad manus inſtrumenta diuinatoria.* Ejusdem tenoris ſunt, quae habet רשי ad h. l. כל מיני הקסמי׳ שלא יאמר אין כלי תשמישי עמי: *uaria genera diuinationis afferebant, ne diceret: non habeo mecum inſtrumenta officii mei.* Adiicit calculum ſuum R. OBAD. SAPHORNO *in Comment. ad h. l.* itemque uerſio *Iekuthielis*, qui קסמים uertit per צאוברניס Zaubernîß, et PARAPHRASTES: אונ׳ זיא האטין גרייטשאפט דער צאובררייא מיט סיך גנומן: und ſie hatten Geräthſchafft der Zauberey mit ſich genommen. Et clauem quidem ad hanc explicationem ſuppeditare uoluit MVNSTERVS, quando ad *h. l.* notat, Bileamum fuiſſe artificem ſine inſtrumentis. At uero, a quam multis etiam propugnetur haec ſententia, nulla tamen eſt. Nolo iam urgere, quod ipſi Rabbini diſſentiant, quo genere diuinationum uſus ſit Bileam, quum alii eum pro inſigni aſtrologo, alii pro famoſo aruſpice, alii pro celeberrimo oniromante, alii pro egregio necromante uenditent, alii uero pro eo habeant, qui ope inſtrumentorum ſuam artem exercuerit; adeoque ipſi certo non ſciant, utrum indiguerit inſtrumentis, nec ne: id ſaltem uidetur perſuaſu difficillimum, Balakum auguri quaquauerſum famigerato miſiſſe inſtrumenta, quibus uteretur, et non reputaſſe, quemuis artificem inſtructum debere eſſe neceſſariis inſtrumentis ipſi inſeruientibus; imo uero, hac ratione Bileamum exiſtimaturum eſſe, ſe potius ludibrio quam honori a Balako habitum iri. Adhaec merito quae-

r) *in* עקרת יצחק *p. 126. b.*

quaeri possset, cur ad se arcessiuerit Balak Bileamum, si per nuncios statim instrumenta misisset, quorum ope absens illud etiam potuisset efficere, quod debebat.

§. XVI. Parum ab horum explicationibus abest Abarbanel, inquiens: נטלו קסם וסימן בידם *portabant diuinationem et signum in manibus suis*, s) nisi uelis סימן explicare alio modo cum Pesicta, ita: אמרו סימן זה יש לנו אם לא ימאן מלבוא אצלינו הרי אנו מצליחין ואם לאו אין לנו המצלחה ונשב אל ארצינו: i. e. *dicebant seniores: Signum hoc erit nobis, si non renuet uenire ad nos, ecce felices, sin secus, nihil erit nobis felicitatis, et reuertemur in terras nostras.* t) Nec multum abludunt illi, qui per קסמים significari aiunt omnem *apparatum*, qui uati necessarius putabatur, ut *sedes* et *sortes*; *ut Kimchi notauit in Sepher Hasschoraschim* sub uoce קסם: quam explicationem et amplectitur Hvgo Grotivs in Comment. ad h. l. prouocans ad *Euripidem*, qui apparatum illum commemorat, qui ad oracula adducebatur. Ast, si iam uel nolimus disquirere, utrum primaeui diuinatores et magi eundem adhibuerint apparatum, quo usi sunt alii progressu temporis: tamen, hoc etiam concesso, uix locum inueniet eorum opinio. Nam, quod antiquitatum scriptores notant, sortes tantum ab ignobilioribus et iis solis, qui aliarum diuinationum maioris existimationis sumtus sustinere non ualebant, afferri solebant, et per illas uates interrogabatur: atque in seculis antiquioribus parum honoris sortibus tribui solebat, si ad ceteras diuinationum species comparentur, uti erudite obseruat in Gronovii *Thesaur. Vol. XII.* Ioh. Pottervs. u) Iam uero quis credat, regem omnibus opibus affluentem, eiusmodi diuinationis speciem selegisse, quae alias non nisi a pauperculis expetebatur?

XVII. Iam sufficiat, has aliorum sententias et adduxisse, et strictim examinasse. Nunc, quid nos sentiamus, aperien-

s) *In Comment. ad h. l. p.* 307. *b.* t) *ad h. l. p.* 66. *b.* u) *in Archaeologia Graeca L. II. p.* 329.

aperiendum. Nemo autem exiſtimet, nos maleſano quodam inclareſcendi pruritu inductos, ſingularem et inauditam explicationem eſſe prolaturos, utut de cetero textui uis ac iniuria inferatur omnimoda. Tantum enim abeſt, ut omnium maxime ſobriam uerſionem et explicationem temere negligamus; ut potius eandem noſtram faciamus, et hac uice tum illuſtrandam tum defendendam ſuſcipiamus.

XVIII. Aſſerimus igitur, τὰ קסמים nec euidentius nec accommodatius tranſferri poſſe in noſtro oraculo, quam per *mercedem diuinatoriam.* Et *primo loco* argumentum elicimus ex uoce ipſa, quae hac ratione exactiſſime reſpondet ſuae radici eiuſque ſignificationi: adeoque non uideo, cur IO. CLERICVS x) tantopere reclamet huic uerſioni, malitque transferre per mercedem *incantamentorum;* quum a radice ad deriuata (non modo qua deductionem, ſed etiam qua ſignificationem) recte concludatur, ſolide, ut ſolet, aſſerente CL. BLOSSIO, *Praeceptore meo nunquam non honoratiſſimo.* y) Iam uero demonſtret aliquis, uerbum קסם ſignificare in ſpecie *incantare*, ut nomen deinde formetur eiuſdem ſignificationis? Aliud uid. in B. WICHMANNSHVSII Diſſ. de קסמי הבבל p. 6.

XIX. Nec uero quenquam male habeat uelim, non nude per diuinationes, uti alias ſolent eiuſmodi nomina, ſed per mercedem diuinationum nos uocabulum tranſtuliſſe; quum non praeter morem fiat, ut nonnulla uocabula eiuſmodi ſenſum induant metonymicum. Sic apud CICERONEM τὸ *Euangelium* notat et laetum nuncium, et illud, quod nuncianti datur, praemium, quando ſcribit: *o ſuaues duas epiſtolas, quibus euangelia deberi, fateor.* z) Et quid opus, ad profanos autores prouocaſſe, quum ipſe ſacer codex exemplis non deſtituatur. Quid enim e. g. בשורה *2. Sam. IV, 10.* aliud ſibi uult, quam *praemium nuncii,* utut aliis in locis eadem uox abſolute notet nuncium?

x) *in Comment. in Numer. p.* 372. y) *in Defenſ. Repetit. uocis* באריּ *p.* 7. z) *ad Attic. L. II. Ep.* 3.

Pari paſſu ambulat uox עונה debitum cohabitationis, *Exod. XXI*, 10. alias habitationem nude deſignans. Quod etiam obſeruauit Cornelius a Lapide, ſcribens: Sicut peccatum ſumitur pro hoſtia expiatrice, ita diuinatio pro pretio diuinationis. a)

XX. *Secundo* loco ad confirmandam noſtram explicationem faciunt pleraeque uerſiones: ubi tamen tenendum, plurimas Ebraicum idioma ſecutas pariter *τὸ* קסמים una uoce expreſſiſſe. Sic LXXlis transfert *τὰ μαντεῖα*, duo paraphraſtes Chaldaei, Hieroſol. אגרין mercedes, et Ionathan: fructus diuinationum: Onkelos קסמיא, Syrus, ܘܩܣܡܝܗܘܢ ܒܐܝܕܝܗܘܢ et diuinationes eorum in manibus eorum, Arabs: بفالات معهم cum auguriis ſecum: Samaritanus: ࠅࠒࠎࠌࠉࠄࠅࠍ · ࠁࠀࠉࠃࠉࠄࠅࠍ et diuinationes eorum in manu eorum. Conſentit *Hiſpanica*: hechiços en ſu mano: *Gallica*: les deuinemens: *Anglicana*: diuinations; *Vulgata*: pretium diuinationis; et, quae primo loco nominanda erat, *Germanica*: der Lohn des Wahrſagers. Plures addere nolumus, quum uel hae ſatis ſuperque amicam oſtendant conſpirationem.

XXI. *Tertium* argumentum deſumimus a conſenſu optimorum quorumque interpretum. Patrum fere omnes, in hanc eunt ſententiam, quod negari non poteſt, uti oſtendit Lorinus. b) Ex Rabbinis D. Kimchi aſſerit, innui דמי קסמים *pecunias diuinationum* c) et in ס׳ פענח רזא legitur שכר קסמים, d) itemque in *Baal Turim ad h. l.* explicatur per *mercedem*, et alios plures huic ſubſcribere ſententiae, docet *R. Bechai ad h. l.* ſcribens: וי״מ וקסמי שכר קסמים, *et ſunt, qui explicant* קסמים *per mercedem diuinatoriam.* Ad ſequioris autem aeui exegetas ſi accedimus, horum nec illos, quos ceteroquin nouae opiniones mirifice capiunt, a nobis recedere deprehendi-

a) *in Comment. ad h. l. p.* 537. b) *Commentar. in Numer. p.* 825. c) *in Seph-Haſſchor. ad uoc.* קסם. d) *p.* 70, *b*.

hendimus, quod exemplo COCCEII, CLERICI, aliorumque palam est. Ex aliis numero plurimis nominamus solummodo CHYTRAEVM, VARENIVM, PELARGVM, STRIGELIVM, LORINVM, *in peculiaribus commentariis;* LVTHERVM, CALOVIVM; VINARIENSES, OLEARIVM, OSIANDRVM, PISCATOREM, ABVLENSEM, BONFRERIVM, CORNELIVM A LAPIDE, *in Operibus Biblicis;* FRIDLIBIVM, QVISTORPIVM, FVLLERVM, HACKSPANIVM, PALLADIVM, CALVINVM, CARRIERE, *in Annotatt. Biblicis*; quorum singulorum uerba proferre, et prolixum admodum foret, et superuacaneum. Sic etiam BIBLIA GALLICA *in margine* uocem les deuinemens explicant: le salaire, qu'on lui offroit pour deuiner: et ad ANGLICANAM uersionem ita commentatur AINSWORTHVS: that is the wage or reward of diuination was in their hand e).

XXII. *Porro* prouocamus ad *historiam*, ex illa non parum lucis huic loco foeneraturi. Et primo quidem loco obseruamus, Orientales semper fuisse summopere deditos hinc incantationibus hinc praedictionibus; ac futura praenosci posse, et existimasse, et ea praenoscere, flagrasse. Nihil igitur facile aggrediebantur, nisi prius consultis hariolis, uti tradunt SELDENVS f) et STANLEIVS g): perinde, ut de Graecorum oraculis commemorat STRABO, ingentem hominum frequentiam eo confluxisse, qui suorum dubiorum solutionem quaererent, et in rebus suis administrandis consilium peterent, ita ut nihil maioris momenti susceptum fuerit, nullum bellum indictum, nulla pax facta, nisi oraculum prius fuisset interrogatum. h) Quo etiam spectant uerba CICERONIS, ubi ait: *Quis Rex unquam fuit, quis populus, qui non uteretur praedictione diuina, neque solum in pace, sed in bello?* i) Qui mos inde ab ultimis temporibus durauit inter gentiles. Vt sexcenta exempla

e) *in Comment. ad h. l.* f) *de Diis Syris Syntagm. I. c. 2.* g) *Philos. Orient. L. I. c. 22.* h) *Geograph. L. 16.* i) *L. I. Diuinat.*

pla taceamus, id de Licinio asserit Sozomenvs, quod τῦ προσδοκυμένυ πολέμυ πρόνοιαν ἐποιεῖτο, διά τε σφαγίων καὶ μαντειῶν, ad imminens bellum se praeparanit uictimis et diuinationibus. k)

XXIII. *Deinde* uero etiam ad duo imprimis momenta attendimus; quorum est *alterum*, diuinatores multum dignitate et auctoritate ualuisse, adeoque ex hoc capite quouis modo honoratos esse; *alterum*, moris fuisse, ut hariolis pretium quoddam pro labore offerretur. Et quod ad *illud* quidem attinet, res est notissima, penes populos Orientales neminem facile ad magnates accessisse, sine praeuia honoris significatione, quacunque ratione instituta. Itaque illi, qui facultatibus non erant destituti, dona parabant eximia, quod ex codice sacro exemplo non uno e.g. *1. Sam. IX, 7.* potest demonstrari. Innuunt eundem morem aliis etiam gentibus receptum, et ab his primaeuis acceptum scriptores quoque profani passim. Sic Xenophon: ἀρχαῖος ἦν ὁ νόμος κάλλιστος, τὺς μὲν ἔχοντας διδόναι τὸν βασιλέα, *mos erat antiquus, ut illi, quibus erant opes, donarent Regem*: l) et alios etiam uiros auctoritate pollentes donis honoratos esse, refert Thvcydides: ὐ γὰρ ἦν πρᾶξαι ὐδὲν μὴ διδόντα δῶρα, *nihil a quoquam transigi poterat sine muneribus.* l) Iam si de nostro diuinatore quaeramus, iam supra ostendimus, eum sui temporis fuisse uirum, cuius fama et celebritas quaquauersum percrebuerat. Quod enim generatim de eiusmodi hominibus asserit Strabo, οἱ μάντεις ἐτιμῶντο, ὡς καὶ βασιλείας ἀξιῦσθαι, *tanto in pretio erant diuinatores, ut etiam imperio digni censerentur* m): id etiam de Bileamo est asserendum, quem ea de caussa נריב באומות *principem inter gentes* uocat *Pesicta maior ad h. l.* Et haec aliqua potest esse ratio, cur קסמים attulerint legati Moabitici, quae hac de caussa per diuinationum *honoraria* uertisse uidentur *Piscator*, *Iunius* et *Tremellius*: cuiusmodi dona

k) *Hist. Eccl. L. I. c. VII. p.* 109. l) *de Expedit. Cyr. L. VII. p.* 316. m) *Hist. L. II. §.* 97. n) *l. c. L. XVI. p.* 881.

dona etiam רש״י habuit cognita, ſcribens: מנחת שלום של הקבלת פנים בשלום ששואל תלמיד או עבד הרב oblatio gratitudinis qua gratioſe nos reſpiciunt, qui illam exhibent, ut diſcipulus, uel ſeruus magiſtro. o)

§. XXIV. Manifeſtior res euadet, ſi ex ſequioribus temporibus ex iis gentibus, ad quos auitae ſuperſtitiones dimanarunt, demonſtremus, eundem morem penes eos obtinuiſſe. Fuerunt autem omnibus ſaeculis *uates numarii*, qui uenderent ſua reſponſa, ut loquitur CALVINVS. p) Ita etiam commentatur R. KIMCHI: כן היה מנהגם כשהיו באים לשאול מהנביא היו מביאים לו מנחה, *hic erat mos, ut illi, qui ueniebant prophetam interrogaturi, afferrent illi donum*, p) et iterum: מי שנתן לו כסף יעשה לו הוראה כרצונו, *qui dat diuinatori argentum, illi facit uiſionem, quamcunque uelit*, q) itemque de Saule eiusque famulo ad prophetam pergentibus, et de afferendo quodam munere ſolicitis ſcribit: לא היו יודעים אם היה מקבל ממן כמו הקוסמים שנותנים להם ממון ששואלים מהם, *neſciebant, utrum accepturus eſſet diuitias, ſicut diuinatores, quibus illi dant pecuniam, qui aliquid ex iis quaerunt.* r) De Graecis res eſt in uulgus nota. Ex oraculis eorum numero plurimis ſolum *Delphicum* nominaſſe ſufficiet, quod quanti factum fuerit, quantiſque donis idendidem ornatum, δηλοῦσι δ' οἵ τε θησαυροὶ, ἃς καὶ δῆμοι καὶ δυνάσται κατεσκεύασαν εἰς οὓς χρήματα ἀνετίθεντο καθιερωμένα, *demonſtrant theſauri a plebe et magnatibus parati, in quos conſecratae pecuniae fuerunt depoſitae*, ut habet STRABO s): quod etiam male habet *Cyniſcum, quando apud* LVCIANVM t) *ita alloquitur Iouem:* οὐχ' ὁρῶ, ἀνθ' ὅτου ἀπαιτεῖτε τὸν μισθὸν ἐπὶ τῇ μαντικῇ, *non uideo, quamobrem mercedem exigatis propter uaticinium.* Sic de GREGORIO THAVMATVRGO commemorat RVFFINVS, illum uidiſſe ſacerdotem, reſponſa poſcentibus reddentem, ex quo etiam illi *alimoniae quaeſtus* eſſe uidebatur. u) Idem de Graecorum ſacerdotibus

o) *ad* 2. *Reg. V*, 15. p) *in OO. p.* 1386. q) *ad* 1. *Reg. XIV*, 3. r) *ad Mich. III*, 11. r) *ad* 1. *Sam. IX*, 7. s) *l. c. Libr. IX.* t) *in* Διὶ ἐλεγχομένῳ: *p.* 210. u) *in Verſione Euſebii ad L. III. c.* 29.

uictum ex oraculis quaerentibus tradit Io. POTTERVS his uerbis: *quum ſacerdotes oraculorum fidem hominum mentes ubique inuaſiſſe, deprehenderent, nemo ea interrogare permittebatur, niſi prius ſumtuoſa ſacrificia et pretioſa munera depoſuiſſet: unde ſoli principes et opulenti uiri Deos conſulendos adibant, quia ingentibus illis ſumtibus ſuſtinendis ſoli pares erant.* x) Eodem ſpectant uerba *Prudentii L. I. contra Symmach:*

Hunc morem ueterum docili iam aetate ſecuta
Poſteritas, menſa atque adytis et flamine et aris
Auguſtum coluit *uitulo, placauit et agno,*
Strata ad puluinar iacuit, *reſponſa popoſcit:*

Et *Herodoti in Terpſichore:* οὗτοι οἱ ἄνδρες ἐν Δέλφοισι καθήμενοι ἀνέπειθον τὴν Πυθίην χρήμασι, *hi uiri Delphis ſedentes Pythiam pecunia perſuaſerunt.* Immo uero, ita hic mos inualuerat penes gentiles, ut prophetae uel oraculorum antiſtites principibus ac magnatibus ſeſe facerent mercenarios, eorumque ad placita, qui aut potentiores ceteris erant, quoſque timebant, aut, qui maiore mercede reſponſa prophetarum mercati erant, ſeſe accommodarent, id quod adductis exemplis euincit ANT. VAN DALEN. y) Idem illud de mercede uatibus ſolui ſolita concernunt uerba APVLEII de diuinationibus ita diſſerentis: *ad iſtum modum diuinationis aſtu captioſo contraxerant non paruas pecunias,* et de ſe ipſo: *Tanta fama de me peruaſerat, ut non mediocri quaeſtui Praepoſito meo fuerim.* z)

XXV. Confirmant illa, quae iam diximus, exempla in ipſa Scriptura ſacra obuia. Luculentiſſima ſunt illa uerba, quibus Dominus per prophetam in hunc morem inuehitur, genti Iſraeliticae admodum familiarem: נְבִיאֶיהָ בְּכֶסֶף יִקְסֹמוּ *prophetae illius pro argento diuinant; Mich. III, 11.* Edocet nos illud etiam Saul, (qui, probe gnarus, quod hariolos interrogaturi ſoleant et debeant afferre munera,) quum iam ad prophetam Samuelem, aliquid ſciſcitandi gratia contenderet cum ſuo puero, ante omnia ſolicitus erat: מַה נָּבִיא לָאִישׁ *quid*

x) *Archaeol. Graec. p* 267. y) *Diſſert. II. de oracul. p.* 404. *ſqq.* z) *in Orat. de Magia.*

quid afferemus uiro illi? 1. *Sam. IX*, 7. qui uero ὑπὸ τῆς ἀγνοίας τȣ̃ μὴ λαμβάνειν τὸν προφήτην μισθὸν ἐπλανᾶτο; ut ſcribit IOSEPHVS a): licet nonnulli putent, offerri potuiſſe etiam aliquid muneris in ſuſtentationem prophetae, animiue grati ſignificationem. Quod etiam intendiſſe uidetur Rex Ierobeam, quum ſuam uxorem ad Ahiam, prophetam cum muneribus ablegaret 1. *Reg. XIV*, 3. Addo et illud, quod uterque et Saul et Ierobeam in Scriptura male audiant et impiorum nomen ſortiantur; adeoque, quod forſitan aliis conſueuerant afferre prophetis hariolantibus, id etiam h. l. obſeruare uoluerint: nuſpiam enim legimus, uel Samuelem, uel Ahiam munera accepiſſe oblata. Iungi his poteſt Naaman, Syrus, Eliſae prophetae munera offerens, 2. *Reg. V*, 15. ubi רש״י rationem redditurus cur detrectarit propheta ea accipere, ait; שרמי עבודה זרה *quia pecunia idololatrica erat:* Nebucadnezar item, oniromantis praemia ſplendida, ſi ſomnium, *Dan. II*, 6. nec non Belſazer Danieli inſignia munera, ſi κρυπτογραφίαν enodarent, pollicitans *Dan. VI*, 16. ubi GEIERVS, exegeta incomparabilis, erudite obſeruat, non abſonum eſſe, uoce נבזבא tunc ueniſſe ſportulas uel *pretium diuinantibus exhiberi ſolitum*; b) quod uero Daniel reſpuebat. Vnde et HIERONYMVS illud diſcriminis fuiſſe ſtatuit inter prophetam et hariolum, quod hic acceperit, ille repudiarit oblationes. Vix uero illuſtrius quicquam dici poterat, quam, quod ultimo loco reſeruauimus, quando de puella illa Philippenſi legitur, quod ἐργασίαν πολλὴν παρεῖχε τοῖς κυρίοις αὐτῆς μαντευομένη quaeſtum uberrimum attulit heris ſuis. Atque ex his capitulatim diſputatis ratio apparet, cur קסמים ſeu mercedem diuinatoriam ſecum tulerint legati Bileamum interrogaturi.

XXVI. Nec eſt, quod aliquis exiſtimet, quod ſi hactenus diſputata etiam recte ſe habeant, tamen a perſona Balaki alienum fuiſſe, ut donis uel mercede Bileamum inuitaret, ſed hunc potius reuerentia erga illum inductum iri, ut faciat; quodcunque deſideraret: interim, ſi quid miſerit, id factum eſſe ex grato animo non ex debito, et eo fine ut

a) *Antiquitt. L. VI. c. V.* b) *Comment. in Dan. p.* 416.

ut uates promtius in se susciperet negotium: nam si nihil afferretur, forsan detrectaret uenire, uaria impedimenta caussatus. Enimuero, ut iam taceam, uatem hunc non subiectum fuisse Regis imperio, adeoque nec ad obsequium cogi et ad nutum eius praesto esse debuisse; iam supra etiam obseruatum fuit, etiam a magnatibus et principibus pretium illud diuinatorium solui debuisse. Quin etiam ipse Balak *u. 17.* plura promittebat, si ei gratificaturus esset. Accedit, quod grati animi praetextus uanus plerumque et in fraudem excogitatus sit in eiusmodi rebus illicitis. Licet enim pretium post confectum penitus negotium conferatur, nihilominus tamen pro pretio et corruptione haberi debere, censet MOREAV. c)

XXVII. Hoc saltem alicui mirum uideri poterat in nostra sententia, quid opus fuisset, ut Rex per legatos mitteret mercedem, quum tamen ad seipsum arcessiuerit uatem, et cur prius erogaret praemium, quam labor esset confectus. At facile ex hoc dubio emergemus, si dicamus, quod hac uice per legatos non allata fuerit tota summa, quae danda erat pro diuinatione, sed tantummodo illius pars aliqua, ut saltem allicerent Bileamum ut ueniret, ubi tamen simul de reliquo pretio, quin etiam extraordinariis muneribus coram rege expectandis certus et reddebatur et erat. Id quod asserit PHILO dicens: *δωρεὰς τὰς μὲν ἤδη παρεῖχε, τὰς δὲ δώσειν ὡμολόγει munera partim iam praebebat, partim uero se daturum esse, pollicebatur.* d) Quod etiam probe praeuidens Bileam ait: *Si dederit mihi Balak domum auro et argento refertam, tamen non possum transgredi uerbum diuinum.*

XXVIII. Quando uero de quantitate mercedis huius diuinatoriae quaeritur, nihil certi potest definiri. Facile quidem quisque perspicit, praemia haec fuisse non exigua, sed longe splendidissima. Id quod palam est, siue respicias rem, de qua interrogandus erat hariolus, quae erat maximi momenti, cui adeo etiam insigne pretium respondere debebat; siue attendas ad personam, quae mercedem conferebat, quae erat Rex opulentissimus, qui praemia nonnisi se digna ero-

c) *dans la Traitte de la Simonie c. 14.* d) *de uita Mosis p. 643.*

erogasse est censendus, quae proinde etiam IOSEPHVS absolute uocat *δωρεὰς μεγάλας*. e) Perinde ut uidere est in Nebucadnezare Rege, multo amplissima dona offerente diuinatoribus; quo quidem loco uox נבזבא ex mente R. SAADIAE notat dona prodigorum, qui libere promendo seipsos uelut exspoliant, uti habet GEIERVS f). Imo uero, probabile est, fastu nimio inflatum Balakum iussisse legatos, ut praemia publice prae se ferrent omnium conspectui exposita, quia erant pretiosissima; uti illud ex uoce בידם aliquo modo colligi posset. Sic R. BECHAI ad h. l. dicit: וי״מ הביאו לו כסף וזהב בשכרו *exponunt nonnulli; attulerunt illi argentum et aurum pro mercede eius.* Interim speciatim determinare praemium non possumus. Quod enim שכר מ״ב קרבנות שהקריב בלק, *quadraginta duo dona attulerit Balak* uti legitur *in Exc.* GEM. in SANHEDR. g): nullo nititur fundamento. Iam enim argentum, *1. Sam. IX, 8.* iam cibos, *1. Reg. XIV, 3.* iam pecuniam, 2, *Reg. V, 5.* iam uestimenta, *Dan. V, 16.* iam frumenta, *Ezech. XIII, 19.* prophetis allata esse, legimus. Negari de cetero non poterit, pro diuersitate diuinatorum etiam diuersa oblata iis esse praemia. Nonnulli enim, lucri admodum auidi, artem suam nulli denegabant, qui uel aliquid munusculi apportabat; de quibus illud dici posset quod CATO *apud* GELLIVM: *frusto panis conduci potest, ut taceat uel loquatur;* aut, ut apposite depingit eiusmodi homines NAZIANZENVS, tanquam *μάζης ὤνιον, πάντα ποιεῖν καὶ λέγειν ἐπὶ τῇ γαστρὶ μεμαθηκότα,* maza uenalem, qui uentris gratia quiduis et facere et dicere didicit. e) Quales prophetas Deus ipse increpat apud *Ez. XIII, 9.* et KIMCHI *ad h. l. eos* describit quod שואלים בהם נותנים להם מלא אגרף שעורים או פת לחם *interrogantes illos, porrigant iis manum horreo plenam uel frustum panis.*

XXIX. Et hoc est, quod in Bileamo etiam est conspicum, quodque *nouum* simul pro corroboranda nostra assertione constituit *argumentum.* Scilicet, eo ipso nomine notat

c) *Antiquitt. L. IV. c. VI. §. 5.* f) *l. c. p. 418.* g) *p. 105. b.* h) *in Orat. ad Athanas.*

eum Scriptura sacra, quando describitur ut talis, *ὃς μισθὸν ἀδικίας ἠγάπησε 2. Petr. II, 15.* ubi legitur, quod merces Bileamo sit oblata, quod merces illa fuerit iniqua; quod mercedem illam non repudiauerit Bileamus; imo, quod consequenter ipse uates inique egerit, quandoquidem h. l. illud ualet: שכר מצוה מצוה ושכר עבירה עבירה: *praemium praecepti est praeceptum, et praemium sceleris est scelus.* i) Iisdem coloribus depingitur in Epist. IVDAE *u. 11.* Quo argumento, nostram sententiam suffulciente, adeo nihil est illustrius, ut multa uerba de uerbis per se claris facere, haud opus ducamus.

XXX. Hoc certum est, nulla alia re, quam *auaritia* inductum fuisse Bileanum, ut mercedem illam sumeret, utpote qua fascinatus animus semper inhiat opibus quacunque ratione corradendis. Nec enim ex officio muneris et affectus sui erga DEVM necessario populo DEI prodesse debebat, quod quidem contendit PRZIPCOVIVS k); sed potius lucri cupiditate captus illi nocebat. Auaritiam eius accusant tantum non omnes interpretes. Et alii quidem cum ABVLENSI eam se prodere putant, quando de uate legitur: *Et surrexit mane Bileam,* quasi praemii cupido somnum ex oculis fugasset. Alii ex eo idem colligere uolunt, quod, quum iteratis uicibus DEVM interrogasset, tandem ab illo se impetraturum esse, confisus fuerit, ut consentiret in Balaki uoluntatem. Si quis obuertat: tamen ipsum uatem auaritiae suspicionem a se remouisse, quum diceret: *Si uel domum auro argentoque plenam daret mihi Balak, nolo ipsi obsequi:* is uero pensitet, uelim, Bileamum haec non potuisse aliter loqui, quam DEVS dixerat. Et in hac uoluntate diuina debuisset acquiescere. Iam uero auri sacra fames intus eum stimulabat, ut gratificari Balako quam maxime uellet. Euentus enim comprobat, eum praemio corruptum et ad male agendum fuisse fascinatum, adeoque erat ex illis, qui חביבים לקנית ממון ותאוה לבם בעולם הזה: *student acquirere mammona, et quorum cordis desiderium est in hoc seculo,*

i) *in* פרקי אבות *c.* 4. k) *in Cagitatt. Sacr. in Epist. Apostol. p.* 328.

lo, uti deſcribuntur a KIMCHIO. l) Ita pro auaro habetur etiam in TALMVDE, quando de illo et aliis aſſeritur, שנתנו עיניהם במה שאינו שלהם *quod reſpexerint ad ea, quae ad ſe non pertinebant* m), et eadem ex ratione illi adſcribitur, עין רעה *oculus malus.* n) Quorſum etiam ſpectant uerba NACHMANIDIS *ad h. l.* quando Bileamum ſiſtit כרוצה להשלים חפצם *tanquam cupientem obſequi uoluntati legatorum.*

XXXI. Et, ut ſine fuco delineemus noſtrum uatem pecuniarium, laborabat peſtilentisſimo Simoniae uitio, quod quidem a Simone Mago nomen tulit tempore ſequiori, in Balaamo tamen pullulauit, ut loquitur HVGO de S. VICTORE. o) Sicut autem munera illa, quibus corruptelae intenduntur, *triplicia* ſunt, quorum alia a *manu*, alia a *lingua*, alia ab *obſequio* proficiſcuntur, notante MOREAV: p) ita ſingula haec genera ad Bileamum adducebantur: manu quidem merces ipſa, lingua adulationes, obſequio Regis gratia, qua eum honorare, et ſeſe ad eius uoluntatem componere uelle dicebat. Ab hoc uero uitio pios prophetas maxime immunes eſſe uoluiſſe et fuiſſe, liquet exemplo *Abrahami Gen. XIV. 23. Moſis, Num. XVI, 15. Samuelis, 1. Sam. XII, 3.* Illi uero deditos grauiter correptos eſſe, euincunt exempla *Simonis Act. VIII, 20. 21. Iaſonis, 2. Macc. IV, 8. 9. ſqq.* aliorum.

XXXII. Adeo igitur graue et in oculis DEI execrandum erat huius uatis delictum, ut permiſſu diuino animal rationis non compos eum redargueret. Namque in genere diuinatio, quam profitebatur Bileam, erat idololatria. quae pasſim in Sacris literis grauiter interdicitur. Vnde et MAIMONIDES: מצות ע״ז כנגד כל המצות כולן *praeceptum de idololatria quaſi tanti ponderis eſt ac reliqua omnia mandata,* q) quippe quam poenae conſequuntur ira DEI feruentisſima, *Leuit. XX, 5.* abominatio *Deut. XVIII, 11.* omnis generis mala, *1. Sam. XXIIX, 4.* lapidatio *Leuit. XX, 7.* mors tragica *1. Chron. XI, 13. Deinde* male agebat, quod auaritiam ſuam proderet, et de acquirendo praemio ſolicitus eſſet: quem

l) *ad Pſalm. I.* m) *in Maſſechet* סוטה, *Excerpt. Gem. c, l. §.* 18. n) *in Maſſechet* אבות *p.* 94. *b.* o) *L. II. de Sacram. p.* 10. p) *l. c. p.* 29. q) *de Idololatria c. II. §. 7.*

quem characterem pseudoprophetarum sistit Scriptura S. *2. Petr. II, 3.* quo uitio Gehasi obuolutus grauissimas dabat poenas, *2. Reg. V, 27.* unde *turpe lucrum* uocatur eiusmodi quaestus, *1. Petr. V, 2.* Grauiter *porro* peccabat, dum ex nefandi lucri auiditate impio Regi obsequi studebat, perniciemque Israelitarum anhelabat, quos tamen DEVS in suum peculium selegerat; licet prophetia eius לכבוד ישראל היה *in gloriam Israelis cesserit*, uti loquitur BECHAI *ad h. l.* Breuiter: peccabat contra DEVM, semetipsum, et proximum. Et hoc est, cur haec merces a Petro l. c. dicatur μισθὸς ἀδικίας.

XXXIII. Huius delicti grauitati autem, ut fieri solet, respondebat etiam grauitas poenarum diuinitus immissarum, quarum alteram nominat Petrus *2. Ep. II, 16.* iam commemoratam, alteram eamque funestissimam *Iudas epist. v. 21.* ex *Num. XXXI, 8.* adducit, mortem nempe eius tragicam, quam scriptores sacri omni posteritati contemplandam, et uitium uel uiam Bileami studiose euitandam consulto proposuerunt.

XXXIV. Haec sunt, quae de קסמים siue mercede diuinatoria commentari, chartae angustia permittit. Restabant et alia, in quae h. l. excurrere et inquirere possemus, e. g. quam impie et imprudenter hanc Bileami mercedem iniustitiae cum hodierno *numo*, uti dicitur, *confessionario*, cuius ope sacerdos iis benedicat, quibus DEVS maledicit, comparet personatus ille CHRISTIANVS DEMOCRITVS n): item: Papistas in hoc capite, si *indulgentias* eorum spectemus, Bileamo fere esse deteriores, quia Bileam uoluntati diuinae tandem obsequium praestitit. etc Sed, quum qua illam quaestionem nihil reliqui fecerit Dn. ENGELKEN in Diss. de Numo confession. p. 35. hanc autem persequatur post alios GESNERVS, o) paginaeque angustia nos ad finem properare iubeat, hic subsistimus, unicam saltem quaestionem, ex nostro themate resultantem, et si ad illud applicetur, egregie illustrantem, coronidis loco subiungentes, nempe: *Quomodo nos gerere debeamus circa recipienda uel detrectanda munera oblata?* Respondeat autem pro nobis B. GEIERVS, p) his uerbis: *Semper attendatur DEI honor, scandali auersio, aedificatio plurium et commodum ecclesiae, quando dona seu admittendu sunt seu respuenda.*

n) *in Papismo Protest. Vapul. p. 99.* o) *de Conciliis, L. III. p. 360.* p) *Com. in Daniel. p. 419.*